

**Rector Et Professores Athenaei Gedanensis, Ad Supremum Pietatis Et
Gratitudinis Officium, Viro Excell. Clarissimoque, Domino M. Friderico Büthnero,
Mathematicum Professori Publico ... Utroque De Munere, Hoc Quidem Per XLVII.
Illo Autem Per XXXVII. Annos Meritissimo, Nyn En Agiois, Ipso Exequiarum Die,
XXV. Febr. M D CCI. Christiano Ritu Praestandum, Studiosae Juventutis Coronam
Peramanter Convocant**

Gedani: Stolle, 1701

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817838929>

Druck Freier  Zugang



[Blank yellow label on the spine]

Hb
9¹⁻¹²

Hb - 9¹⁻¹²

GEBUNDEN BEI
W. SCHORNACK
ROSTOCK 1/M.
GRÜNER WEG 5.



RECTOR ET PROFESSORES
ATHENÆI GEDANENSIS,
AD
SUPREMUM PIETATIS ET
GRATITUDINIS OFFICIUM,
V I R O
EXCELL. CLARISSIMOQUE,
D O M I N O
M. FRIDERICO
BÜTHNERO,

MATHEMATUM PROFESSORI PU-
BLICO, COLLEGII SUI SENIORI, ET SCHOLÆ
JOHANNITANÆ RECTORI,

UTROQUE DE MUNERE, HOC
QUIDEM PER XLVII. ILLO AUTEM
PER XXXVII. ANNOS MERITISSIMO,

NYN EN ΑΓΙΟΙΣ,


IPSO EXEQUIARUM DIE, XXV. FEBR. clb lb ccl.
CHRISTIANO RITU PRÆSTANDUM,

STUDIOSÆ JUVENTUTIS
CORONAM


PERAMANTER CONVOCANT.

G E D A N I,

Imprimebat JOHANNES-ZACHARIAS STOLLE,
ATHENÆI TYPOGRAPHUS.




TYCHONEM BRAHEUM, fulgidissimum illud Cœli Mathematici Sidus, A. E. C. 1601. d. 24. Oct. obnubilatum, seu verius illustriori, & Eclipsin nunquam passuro lumine donatum, *Pet. Gasendo*, vitæ ipsius scriptore accuratissimo, p. 217. referente, æneum aliquod Cœli simulacrum, seu *Globum*, quem vocant, *Cœlestem*, magnitudine & arte præ cæteris insignem, post fata reliquisse accepimus. Expertus autem & iste Globus fata est varia: in Insula Huenna efformatus primum, translatus deinde cum possessore ad externos, jactatus porro inter tumultus bellicos huc illucve; usque dum 1632. Udalricus, Christiani IV. Daniæ Regis Princeps Filius, incertis sedibus hætenus oberrantem Patrio iterum Soli, & quæ sub illo floret, Regiæ Hafnienfium Academiæ collustrandum, non sine pompa exponeret. Digna sunt, quæ hic a nobis memorentur, inscriptionis pondera, *Christ. Longomontani* ingeniosa manu Globo huic apposita: *Cum plusculos annos Cœli motum felici apud nos successu monstrasset, moveri cœpit, & exteris cessit. Primo Benaticam, mox Pragam, inde Niessam defertur. Ita quis in Cœlo vices designat, in Terra patitur. Tandem capta Niessa, virtute, ductu & auspicio Principis Divi Uldarici, Patriæ, velut trophæum, ex peregrino Marte vindicatur & restituitur.* Hæc de Globo Tychonico Longomontanus, genuinus & gratus Brahei quondam Auditor! Sed quid vetat, hoc sub schemate, imaginem ostendere communis miseræ atque inconstantia, cui genus mortalium obnoxium esse nemo ibit inficias, nisi qui hominem se esse negaverit? Hominem Pilæ similitudinem referre agnoverunt veteres, quidni & Globi, quidni, quæ in Globo conspiciuntur, Stellarum erraticarum? Movemur hinc inde, & exteris aliquando cedimus. Patimur vices, ipsa Luna mutabiliores. Duce tandem & auspice Summo Cœlorum Principe, qui Sol noster & Clypeus, *per varios casus, per tot discrimina rerum, tendimus in Patriam, sedes ubi Jova quietas ostendit.* Non vacat hæc ulteriori commentatione persequi, aut Soli præferre faculam. Prope- randum namque est ad alia; non Astris tamen, a quibus omnia dependere Judæorum tradit superstitio, necessitantibus, sed DEO, vitæ mortisque Arbitro, qui lumen inhabitat ἀπρόσβουτον, sic volente, sic jubente. Exequias nimirum, interprete ac præcone publico hocce Programmate, indicimus, parandas *Collegii nostri Seniori desideratissimo, Viro Excell. Clarissimoque, DN. M. FRID. BÜTHNERO, Mathem. hætenus P.P. meritisimo, & Scholæ Johannis. Rect. dexterrimo.* Qui cum plusculos annos Cœli motum felici apud nos successu monstrasset, moveri tandem cœpit, & cessit, non exteris, sed, quam peregrinus in his terris incola anxius expectaverat, Patriæ Cœlesti, τῆν μὲν πάλει. At enimvero ne ipsius cum obitu & grata meritorum recordatio simul obeat sepeliaturque, pietatis lege omnino inducimur, ut, quæ pie defunctus propria ipse manu consignavit prolixius, servato annorum ordine, strictim significemus. Et ut ab incunabulis Viri, de quo præsentem scriptionem instituimus, ordiamur, Solem ille meridianum adspexit d. 11. Jul. st. n. A. 1622. sed in tenebris exilii, in solo peregrino, in *Bohemia*, natus Parente utroq; Franckensteinensi Silesio. Nascentem excepit *Opuſchium*, celebre in circulo Grezenfi fortalitium, quo mater uterum ferens, fervente Marte, securitatis gratia concesserat. Patrem veneratus est Virum Pl. Rev. Clarissimumq; *Dn. M. Adam. Büthnerum, Adami*, civis Franckensteinensis, & *Anne Dieppolite*, diæcæ *Lucasie*, filium, P. L. C. primum Lefinii, in Ducatu Glacensi, cœtus Germanici & Bohemici Pastorem, Superintendentem postea in Silesia superiore Freystadiensem, superatis denique exiliis ac mutationibus variis ab A. 1629. usque ad 43. in Castello ad ostium maris Balthici Ecclesiastem Gedanensem. Matrem vero exosculatus est Fœminam, a sexus sui virtutibus commendatissimam, *Susannam Hermanniam, Gregorio Hermanno*, Negotiatore Franckenst. & *Ursula Craftia*, genitoribus optimis ortam. Ortus & ipse genitoribus hisce ὁ μακαρίτης noster, & Baptismo, quem Φωτισμὸν s. illuminationem dixere veteres, a Thoma Wirbiceno, t. t. Diac. Dobruscensi initiatus: jactis præcognitorum Catecheticorum fundamentis, prima Lingvæ Lat. Græcæq; nec non artis Musicæ, (cujus peritiam Choro Templi Mariani Symphoniaco per bien- nium Cantu probavit,) deinceps & Rhetoricæ, Dialect. Poët. ac Theologiæ rudimenta, paterna præeunte manu ductione, feliciter posuit. Ætatis anno 12. *Stargardiam Boruss.* missus, atque a Mart. Rösnero, Ecclesiaste, receptus in domum Lingvam imbibit Polonicam. *Gedanum* reversus, Scholæque Marianæ A. 1636. commissus alumnus tantos, ductu Nic. Rudovii,



Rudovii, Reſt. & Jac. Zetzki, Conr. progreſſus in Latinitate, & Græcanica etiam litera-
tura fecit, ut auctores Græcos, Nonnum puta & Poſſelium, qui tum proponebantur,
non ſolum legere, ſed & intelligere abſque interprete, proprii ingenii adjutus felicitate,
potuerit. Elapſo fere biennio Ludo huic valedixit, habitaque cum applauſu *Oratione*
publica, 1638. 2. Sept. *Vratiſlaviam* contendens Gymnaſii S. Mar. Magd. civis factus eſt,
ſtudia ipſius M. Henr. Cloſio, Reſt. & Valent. Kleinwechtero, Conr. moderantibus.
Publice hic & privatim declamando ſæpius auditus, & Lingvæ etiam Sanctæ, quam
Hebræam dicimus, fatiſ gnarus, primas Geometriæ & Matheſeos, quam ille ſcientiam,
Syneſio iudice, *Σαφεινότητος* & ſumme venerabilem, a teneris jam amaverat tenerrime,
duxit lineas. Quo eruditionis apparatus inſtructus Gymnaſium *Thoruniense*, Pet. Zim-
mermanni, & Baſil. Czœlneri fama inclytum, 1639. adiit, perque annum ibidem non
abſque inſigni L. Polonicæ & graviorum ſtudiorum cultura commoratus, Dn. ab Holten,
Secr. Regii, favorem ſibi, dexterrima liberorum inſtitutione, conciliavit. Salutata de-
nuo *Urbe noſtra*, nomen ſuum Athenæo profeſſus, Curixque primæ civis A. 1640. ad-
ſcriptus ita ſe geſſit, ut non pauca indefeſſi fervoris documenta, ab ipſo edita, provocare
& alios potuerint ad æmulationem. Illuſtrabant eo tempore Sphæram Gymnaſii noſtri
Lumina clariffimâ, Joh. Botſaccus, Pet. Oelhaſius, Joh. Mochingerus, Henr. Nicolai,
Dan. Lagus: His autem prælucentibus, qui potuit Noſter vitam agere umbratilem?
Viſus hinc eſt ſubinde, applaudente Auditorio, collectæ doctrinæ radios ſpargere per
publicas, quas vocant, diſſertationes, quarum de *Pane* duas, Henr. Nicolai Præſide, for-
titer defendit: ut alia taceamus induſtriæ ſpecimina, quibus curſum vel Philoſophicum,
vel Theologicum, emenſus eſt feliciffime. Unum reſtabat, nimirum ut in luce verſaretur
Academica. Fauſto itaque ſidere *Baſiloream* 1641. 17. Sept. petiit, Pichlero & Calovio
haud fruſtra commendatus: Horum quippe auctoritate motus Chriſtoph. Martini, Di-
caſterii Electoral. Secretarius, juvenili liberorum ætati eum & morum & artium libera-
lium præfecit directorem. Atque hac ope non parum ſublevatus ſtudia ipſe ſua, Mathe-
maticum imprimis, Alb. Linemanno viam monſtrante, ſedulo eſt perſecutus. Aſſiduus
etiam in Collegiis, quæ Chriſt. Dreierus & Hartvic. Wichelmannus aperuerant, Logicis,
Metaphyſ. Phyſ. Eth. & Politicis Auditor, diſputationem de *Summo Bono* Philoſophicam,
ab ſe elaboratam, adſcito Præſidio Wichelmanniano, eruditorum cenſuræ ſubmiſit.
Interfuit quoque 1644. Jubilæi Academici ſolennitatibus, non ut otioſus ſpectator, ſed
Joh. Behmio, Theol. & Chronol. Prof. de Statu Boruſſiæ ſub Gentiliſmo, Cruciferis, &
Lutheraniſmo tum differenti, patulas aures præbuit. Reſicto paulo poſt Monte Regio,
Gedanum, matrem ſibi jam olim propitiâ, 1645. M. Mart. iterum amplexus eſt, Vi-
rumque illuſtrem, Dn. Adr. de Linda, Præ-Cos. & Proto-Schol. immortaliter meritum,
fortunæ ſuæ adeo faventem habuit, a Joh. Fabricio, Paſt. t. t. Bartholomæano commen-
datus, ut generoſæ Proliſ Lindanæ ultra biennium Ephorus, ſtipendioque poſtea, quod
gratus deprædicat, a Magnif. Senatus Liberalitate per quadriennium munitus, Athenis
Leucoreis & Viadrinis committere ſe cum ſucceſſu potuerit. Et *Witteberga* quidem *No-
dum Petrinum* 1. Pet. III. 19. 20. diſputatione de *Deſcenſu Chriſti ad inferos*, ſub umbone
Pauli Rœberii, feliciter ſolvit. *Lauru* dein *Philoſophica* 1648. a Joh. Scharſio, Fac. Dec.
ornatus Collegia inſtituit *Mathematica*, ac Præſes de *Diſtantiâ* \odot & \oslash , de *Motu* \odot *ſpirali*,
de *Refractiõne Siderum*, materias jucundiſſimas ventilavit. Edito inſuper *Periculo de LXX.
Hebdomadibus Danielis Chronotactico*, habitaque Scharſio Præſide de *Cœna Sacramento* diſ-
ſertatione, Muſis Wittebergenſibus valedixit, Jac. etiam Martini, Lyſeri, Buchneri, Fran-
ckenbergeri Auditor ſolertiſſimus. Diſcedens 1650. 19. Apr. *Francofurtana* innotuit,
iteratiſque in Studioſorum gratiam *Collegiis Mathemat. Geodet. Fortificator. Metaphyſ. Astro-
nom. Geographicis*, Colbatio præcipue & Brunnemanno ſic ſe probavit, ut ad obtinendam
Matheſeos Spartam, ab obitu Origani eo uſque vacuam, auxiliatrices ipſi pollicerentur
manus. Sed aliud viſum Deo fuit. Hinc conſecto *per Roſtoch. Wiſmar. Lubec. Hamb. Embd.
Groning. Franek. Amſtel. Lugd. Hag. Comitibus* itinere, in Patriam (*Gedanum* innumimus) 1651.
22. Oct. redux, Rev. Miniſterio operam ſuam obtulit vicariam, peroratiſque ad populum
Homiliis variis, *Almæ Regiomontane* ſe iterum 1652. addixit. Impetrata mox, cum pro
Loco, quod ajunt, *Exercitationem Geograph.* inſtituiſſet, legendi ac præſidendi facultate,
rem ſuam ſtrenue geſſit: minitante autem peſtis ſævitiâ in oppido *Fiſchhauseni* aſylum
quæſivit & invenit. Jam promotioni maturus, miſſis ab Ampliſſ. Collegio Scholarchali
literſi

literis vocatoriis, *Schola Johannis, Rector* designatus, præviaque introductione 1653. 29. Dec. confirmatus est. Sed ne solitudinis molestiæ munus per se laboriosissimum aggravarent indies, cœlibatui misit nuncium, contractisque sponsalibus 1656. 3. Jul. fœdus conjugale iniit cum Virgine, Virtutum splendore Ornatissima, *Catharina Bremeria*, Henr. Bremeri, Negotiatoris integerrimi filia. Vidua jam mœstissima, ex qua, quæ Dei gratia est, filios sustulit IV. & filias III. primogenitum, duasque e sexu sequiori adhuc superstites. Nondum vero honoris illud culmen attigimus, ad quod Magnif. Senatus decreto evectum fuisse pie defunctum novimus. Nactus enim est, quam Decessor Celeber. *Laur. Eichstadius* ornaverat, *Mathematum Spartam*, quam & ipse, præmissa 1663. 18. Dec. de *Præstantia & Fecunditate Astronomiæ* Oratione auspicali, Lectionibus postea Disputationibusque solennibus de *Visione, Radio visivo, & Fallaciis Opticis*, de *Origine item & Materia Cometarum*, de *Phænomenis, motum primum consequentibus*, haud proleterie ornavit. Nec reticeri & alia ingenii monumenta debent. *Sciagraphia* videlicet *Arithmetica Logistica, Trigonometria & Algebra Propitia, Logistica Sexagenaria, Tabula Mnemonica Geometrica*. Reliqua autem, *MSC. præsertim atque ævëndoræ*, quæ plurima reliquit, cum a literatissimis Novorum Literariorum Maris Balth. Collectoribus ad A. 1698. p. 106. sq. curiosorum subjiciantur oculis, sigillatim recensere quid attinet? Dicendum potius de Viri hujus, laudis nostræ haud indigi, laude quippe omni jam longe majoris, *abitu beatissimo*, quo per mundi hujus tenebras plusquam Ægyptiacas ad æternam illam, quæ in Cœlo fulget, lucem penetravit tandem. Sol novit occasum suum: & viventes sciunt se esse morituros. Morimur quotidie, lucendoque aliis, candelæ instar, ipsi consumimur. Et quid multa? Accidit in puncto, quod non speratur in anno. *Joh. Staëfflerus*, insignis Mathematicus, (ceu ex *Gvalt, Chron.* repetit in *Polymnemone Magirus* col. 1562.) certo die periculum sibi e ruina imminere præviderat: ædes suas satis firmas noverat: convocat in Museum viros eruditos, quorum consuetudine & sermonibus recrearetur. Orta inter sobria pocula disputatio. Ad controversiam explicandam e superiore loco librum depromit, sed laxato clavo asser, in quo stabant libri, in caput ejus decedit, & insigne vulnus infelici seni infligit, ex quo mortuus d. 16. Febr. A. C. 1631. æt. 78. Casu ejusmodi tragicô non abreptum quidem dolemus B. Senem nostrum, at tactum tamen, ipso hoc anno, Jan. d. 15. *apoplexia* inaudivimus. Imminere itaque ultimam illam lineam, & docta arte plus valere malum sentiens, adesse sibi, quem habuit a confessionibus sacris, Virum Pl. Rev. Clarissimumque, *Dn. Joh. Henr. Nothwangerum*, Æd. Johannis. Symmystam optime merentem, enixe desideravit. Pactus hinc ac refectus d. 17. Jan. sanctissimo Cœnæ Dominicæ epulo, vitam veram in morte Redemptoris, primi illius & novissimi, qui abolendo mortem in lucem produxit *ἀφ' ἄφρατος*, unice sitam esse ad extremum usque halitum credidit. Nixus basi hac solidissima mortalitatem demum 13. Febr. hor. 10. antemer. placida exiit analysi, animamque Creatori reddens *ætatis anno LXXIX.* ipso die Solis splendidissimam Cœli Regiam ingressus est. Cernit jam Solem illum justitiæ, non *δὲ ἐσπέρης*, sed a facie ad faciem. Natus fuit in fortalicio, vixit etiam in urbe munitissima, & si divino indultu dierum multiplicare numeros ipsi licuisset, auditoribus suis hoc anno artem inculcasset fortificatoriam, sed Arce illa, quam nunc inhabitat, quid excelsius, quid fortius, quid tutius? Nulli hic, (si ita loqui fas sit) turbantur circuli, sed serena sunt & tranquilla omnia: ut adeo habeamus, de quo Collegæ nostro, hætenus conjunctissimo, jure meritoque gratulemur. Vos autem, *Juvenes lectissimi, animoque nostro commendatissimi*, si quid pietas apud vos valet, si quid gratitudo, Præceptoribus debita, rogatos volumus atque monitos hisce tabulis, ut funus Professoris vestri, optime meriti, d. 25. Febr. Christiana solennitate effeendum, frequentes ad Templum Johannis. comitemini. Facietis, quod in laudem vestri amoris & obsequii, in solamen mœstissimorum haud exiguum, in excitationem denique ulteriorem nostri erga vos studii cessurum omnino speramus. Ceterum sic semper & ubique vivite, ut ultimam quamque lucem, tanquam non redituram, consumatis. *Abrah. Ortelius*, non ignoti nominis Geographus, Symboli loco Globum Terrestrem pinxisse fertur, hac cum epigraphæ: *Orno & contemno!* Ita & vos operam date sedulo, ut orbem eruditum scientiarum genere vario aliquando ornaturi, mundi hujus delicias atque illecebras generosa indole contemnatis. *Quæ infra nos, nihil ad nos: Quæ supra nos, omnino ad nos!* Valete, & τὰ ἀνω ζήτετε! P. P. a. d. XXIV. Febr. A. O. R. cto Io ccl.



[Faint, illegible text on a small paper label affixed to the spine area.]

stituerent, in quibus formaretur in provinciis iuventus,
 manisque institutis ac legibus imbueretur. Atque hinc Fl.
 spasianus Imp. luculenta primus Latinis Graecisque Rhetor-
 us constituit stipendia, quae post eum philosophis quoque
 Antoninus decrevit. (d) Constantius Chlorus Imp. Eu-
 nium Rhetorem ex aulae luce in scholae umbram lautissi-
 o stipendio misit, ut Maenianam scholam, Bagaudico tu-
 ultu vastatam restauraret. (e) Julianus Imp. apostatae no-
 ne notabilis, cum aegre vellet rei facere Christianae, Christia-
 rum occludebat scholas, scriptoresque profanos explicari pro-
 cebat, ne ex hisce superstitione pagana absurdae impietatis ar-
 eretur. (f) Neque vero eius rei causa fuit, quod provide-
 prudens Imperator gliscens iam iniquitatis mysterium, &
 tantum mali Ecclesiae atque reipublicae immineret ex ma-
 rorum disputationibus, quod peruerse tradit aliquis Oron-
 . (g) Justinianus Imp. cum magnos in templorum sub-
 uctiones sumptus conferret, eosque ut colligeret, stipendia
 rtium Magistris detraheret, factum est, ut scholae
 uerentur, & rusticitas dominaretur, quod Zo-
 didit Jo. Avrowsmith. (h) Sub idem tempus bar-
 , qualesdum Romanis erant, Germani omnes,
 omanorumque prouincias, Hispaniam, Galliam
 que, inuaserunt & occuparunt, scholasque oppres-
 gnauit hinc barbaries per longum seculorum de-
 n alibi, tum in Germania imprimis, donec Frid-
 V. potius aevo literae renascerentur, & passim con-
 ademiae, Graecique exules literas Graecas Italiae
 Lux literarum uti occasionem praebuit desideratae
 formationi, ita haec illarum auctus & ornamenta
 Lutherus enim nugae scholasticas non improba-
 eiecit; Sed Germaniae quoque in oppidis, qui fu-
 stratus, grauitate cohortatus, scholas ut erige-
 neque adeo uti de religione, sic de literis etiam me-
 eque enim dubium habet, quin maiori studio at-
 u literae ac disciplinae fuerint excultae in scholis at-
 uis, emendata ubi obtinuit religio, quam Romani
 ecretis ubi sunt addicti, Galliam si exceperis, quae
 ficis ceruicem penitus nunquam submisit, & vel
 e reformationum, quos diu ciues habuit, excitata fuit.
 haec Quedlensis ciuitas, cum reformationis vrge-
 duas scholas, alteram in veteri, alteram in noua urbe,
 prima femina emendatae religionis a Rectore, Leo-
 ne, sparsa sunt.

in V. Vespas. c. xliii. Casaubon. in h. l. p. 553. e) Panegy. Veter.
 e est Eumenii pro restaur. scholis p. 55. l. edit. Cellar.

r. Io. Petr. Ludwig Diss. de edicto Iuliani contra philosophos Christia-
 al. 1702. nostra obi. in Miscell. Lips. To. IV. p. 195. g) Unpartheische
 ncken von der alten und neuen Gelehrsamkeit / p. 27. h) Tactic.
 . 344. i) To. II. Altenb. p. 804. *) Hallbauer Diss. ecclesia Luth-
 olitoris literaturae patrona, Jen. 1717.

